



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Egregivm Martyrivm SS. Chrysanthi & Dariæ: Ex historia quam Varinus & Armenius presbyteri S. Stephani Papæ scripserunt. Extat apud Metaphrasten. Coronati sunt Anno Christi Ducentesimo quarto vel ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

eibus & miraculorum signis: cum ecce in S. Pas-
 chatis vigilia Angelus Domini eximio splendo-
 re coruscans, illi in templo more suo nocte vi-
 gilanti, adusque tertio apparuit, trāsitum eius
 ex hoc mundo p̄dixit: beataq; immortalitate
 propediem eum participem fore asseneravit:
 quin & viaticum ei tanquam breui morituro
 tradidit. Ab illo igitur die de suo obitu solli-
 cius, nisi causa ineuitabilis & multis profutu-
 ra adesset, vsque ad diem vocationis suæ, sem-
 per versum hunc ore repetebat: vnam petij à
 Domino, hanc requiram: vt in habitem in do-
 mo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Sed e-
 nim Templum Dei indefessus assiduò frequen-
 tabat; alijsq; sanctitatis operibus iugiter in-
 tendebat: quoadusque tandem expleto la-
 bentis vitæ cursu, fratribus valedicens & in-
 ter verba sanctæ exhortationis animam expi-
 rans, felici migratione peruenit ad Christum
 omnium Redemptorem.

*Celitus p̄e-
noscit obitu*

*Ab Angelo
viaticum ac-
cipit.*

Psal. 26

*Vt se ad mor-
tem p̄p̄a-
ravit.*

*Felicissimè
obit.*

E G R E G I V M M A R T Y R I V M S S.

Chrysanthi & Daria: Ex historia quam Vari-
 nus & Armenius presbyteri S. Stephani Papa
 scripserunt. Extat apud Metaphrasten. Coro-
 nati sunt Anno Christi Ducentesimo quarto vel
 circiter.

*Vide Tom.
7. Annal C.
Baron.*

VIR quidam Alexandrinus, illustris in ci-
 uitate sua princeps, ordinisq; senato-
 rij, Polemius nomine, cū vnico filio suo
 Chrysantho Romā concedens, ibidē à Nūeria-
 no Imperatore maximis honoribus decoratus
 fuit. Hic cū filiū suū rerū maximarum cogni-
 tione

*25. Octob.
parentes
eius.*

*Vide quid
præstet le-
ctio piorum
codicum.*

*Carpophorus
in spelunca
degens Chry-
santhum in-
stituit.*

*Chrysanthus
à parente in
carcerem
conijcitur.*

tione imbuisset, eoque eruditionis prouexisset, ut philosophorum præceptionibus præclare instructus, ad metaphysicarum rerum disciplinas ardenti cupiditate aspiraret, accidit ut in sacros Euangeliorum cõdices fortè incidere, eosque incredibili quadã aueritate veritatis indagandæ deuoraret. Cumque inter legendũ inasperata quædam lux, in medijs tenebris menti illius oriretur, neque tamen rectam veritatis semitã per se, suoque ingenio inuenire posset, statim viã ducẽ requirere cæpit. Accidit opportunè ut de admirãda Carpophori & virtute, & prudentia, & rerũ diuinarum eruditione, multa audiret: cuius viri fama, ad eò eius est amore incensus, ut nullum non moueret lapidem quo ad eius notitiã peruenire mereretur. Degebat is Carpophorus in horrida quadam & inuia spelunca: vbi persecutionis declinans sæuitiam cælestium rerum contemplationi sedulus vacabat. Ad eum igitur Chrysanthus veniens fuit peramanter exceptus, & paucis mensibus diuinas scripturas tam excellẽter ab eo edoctus, ut septimo à percepto baptismo mense, Christũ Iesum palã cunctis prædicaret. Ea res cum diu occulta in tanti principis filio esse non posset, celebri sermone ad aures Polemij patris eius delata est: qui vehementer stupefactus eum confestim obscuro foedoque carcere includendum curauit: ut eo squalore fractus à fidei constantia resilliret. Sed illa corporis afflictio animũ iuuenis magis roborabat, confirmabatque: ad eò ut famem sitimque, & cunctas molestias, summas reputaret delicias. Quid enim iucundius, quidam glorio-

gloriosius homini Christiano accidere potest, quam pro Christi nomine molestijs ac supplicijs afflicti? Itaque cum pater filium asperis & duris rebus indies magis magisque in Christi fide & amore roborari cerneret, cuiusdam instinctu persuasus statuit eius animum puellarum blanditijs, carnisque delicijs ac voluptatibus eneruare. Igitur triclinium peristromate ornari, & eò filium è tenebroso carcere preciosis indutum vestibus deduci iubet; deinde speciosissimas virgines è numero ancillarum selectas, eleganter comptas & ornatu mirifico fulgentes immittit, quæ castissimi adolescentis animum ad foedas & impuras carnis voluptates alliceant. Degebat igitur inter impudicos puellarum greges vir Dei; sed adeò constanter in proposito perstabat, ut & ciborum delicias contemneret, & virginum, tanquam aspidum, contactus euitaret: Humi assiduò stratus, Christi gratiam, contra dæmones & carnis insidias, cum lachrymis implorabat; puellarum blanditias tanquam sagittas, fidei clypeo repellebat: clamabatque ad Dominum: Quis, ò Domine, seuum hoc & immane bellum, ab aduersario excitatum, sustineat, nisi præstò adsit victrix dexterâ tua? Scio, Domine, scio, neminem virtute propria cæstrum libidinis superare, & insitam nobis cupiditatem extinguere posse, nisi tuæ imbre misericordiæ, bullientia carnis incendia extinguantur. Voluptas enim titillat animum, quæ instar improbæ feræ, in vitæ nemore laticans, animas deuorat. Cuius si quis morsus effugerit, est quodd tibi soli Saluatori nostro, ex animo gratias agat. Tuum enim est,

Conatur eum pater puellarum blanditijs à Christo auertere.

Egregiè dimicat cõtra puellarum blanditias & carnis voluptates.

Nemo potest esse cõtinens nisi Deus det.

nos ab eiusmodi periculis liberare. Et nunc Domine, supplex gratiam tuam deprecor, ut aduersus immanes istas belluas opituleris, ut quemadmodum serpentes suavi incantantium voce sopore grauantur, sic & ipsæ, me precante, somno opprimantur: ne mihi bellum libidinis inferre queat. Hæc illo orante & lachrymis pectorisque tusionibus carnis pruritam, ut poterat, extinguente, virgines omnes grauidæ ad sopore oppressæ sunt, ut non nisi ex triclinio exportatæ, excitari possent. Foris igitur cepere cibum. Verum cum triclinium ingressæ, bella castissimo iuueni mouere vellent, altus eas rursus somnus complexus est.

Hæc ut fuere patri nunciata, coepit is filium ut mortuum deplorare. Quidam autem amicorum eius ut aliquam afflicto principi consolationem præberet, Magicam, inquit, o virorum illustrissime Polemi, a Christianis edoctus artem Chrysanthus, facile simpliciores puellas incantatione deuincit; sed accedat erudita aliqua & prudentiæ opinione insignis; qualis inter Mineruæ virgines, vna omnium præstantissima, est Daria; quæ vultu admodum venusto, ingenij acumine, & prudentiâ atque eloquentia singulari, facile adolescentis animum superabit, & quocumque libet, nubilus iam ætate, impellet. Placet consiliû patri. Vocatur Daria à patre & ab amicis cognatisque; ad fraudem insidiasque egregiè instruitur; ornatur; componitur: Ingredditur deinde ad Chrysanthum audacter, blandisque sermonibus, & dulci atque ornata oratione, conatur adolescentem à proposito remouere. Verum Chrysanthus Dei presidio mu-

*En potentem
viam precum
suum.*

*Daria mittitur
ad Chrysanthum ut
eum à Christo auertat.*

diomipitus, diaboli iacula scuto fidei reiecit,
& Christi numen ardenti spiritu precatus, sic
ferè eam est allocutus.

Si temporariæ coniunctionis, causa, ð virgo
præclara, tam elegantem ornatû & dulcem o-
rationis copiam adhibuisti, vt me hominem
mortalem, alterius amore inflammatû, ab ani-
mi proposito abduceres, mentemque immuta-
res, quanto magis debes operâ dare, vt immor-
talis Regis filij Dei tibi amorem concilies?
quod quidem si volueris, nõ erit difficile. Nam
si animam simul cum corpore mundam, & ab
omni macula puram integramque seruaris, &
cor tuum, æquè ac corpus, exornaueris, &
quemadmodû extrinsecûs splendes, sic mores
tuos intrinsecus cõposueris, mox Angelos fau-
tores habebis; Apostolos & martyres tui amo-
re infâmabis: qui operam dabunt vt ipse Chri-
stus thalamum tibi incorruptis lapidibus &
margaritis in cælo constructum adornet; deli-
cias, quas nulla mēs creata capere potest, præ-
beat: denique iuuentutis florem largiatur im-
mortalè. His Daria verbis cõmota, nulla me,
inquit, amoris causa hoc modo ornatam huc
adduxit; sed patris tui lachrymis impulsa veni,
vt te parenti, restituerem; & ad deorû cultum
reuocarem. Si aliqua, respõdit Chrysanth^o, te-
nes argumenta, quib. id mihi verè persuadeas;
& consilium mutabo, & te diligenter audiam.
Itaque pro cõmuni vtilitate de his disseramus.
Nihil inquit, Daria, magis vtile aut necessariû
est hominibus, quàm religionem colere; & di-
ligenter cauere, nè ea neglecta, maximum deo-
rum numen ad iram concitemus.

*Insignis ora-
tio Chrysan-
thij ad Da-
riam.*

His

*Dariam ad
Christum cō-
uertit Chry-
santhus.*

His ita constitutis cum virgo eximia pru-
dentia, & moribus ac ingenio facillimis, atren-
tas Chrysanto aures præberet, non fuit difficil-
le animum æternæ salutis desiderio inflamma-
tum, ab inanium deorum & simulachrorum
cultu, ad veri æternique Dei cognitionem ad-
ducere. Itaque Chrysantho differente, credidit
Daria: & communi sententia inter eos consti-
tutum est, ut, simulato coniugio, virginitatem
in Dei timore ad extremum vitæ spiritum ser-
uarent.

*Baptizatur
Daria.*

Cum igitur sub matrimonij nomine Chry-
santhus summa patris voluntate & gaudio, in
pristinam libertatem dignitatemque restitutus
esset, antè omnia Dariam domi suæ sacro
fonte lustrandam curavit: lustratamq; exiguo
temporis spatio eximia diuinarum rerum cog-
nitione instruxit. Quæ, suscepto virginitatis
velo, admiranda sanctitate & castimonia eni-
tuit. Et quemadmodum per Chrysanthum in-
numerabilis virorum multitudo, sic per Da-
riam incredibilis foeminarum numerus ad Chri-
sti gratiam concurrebat: & multæ virgines, di-
missis sponsis, se Christo dicabant. Multi item
adolescentes, spretis mundi delicijs ac volup-
tatibus superatis, castitatemque complexi, ei-
dem Christo se consecrabant. Ceterum seditio
in ciuitate repente exorta est, publiceque po-
pulus Celerinum prætorem adit. Clamant ado-
lescentes, se desponsatas sibi mulieres propter
Dariam amississe. Vociferantur foeminae, sibi
Chrysanthum maritos eripuisse, atque ita sus-
cipiendæ prolis spem omnem amissam esse.
Odiosa igitur crimina obijciebatur, & ingens
tumul-

*Chrysanthus
& Dario si-
mulato inter
se coniugio
multos ad
Christum cō-
uertunt.*

tumulus ac perturbatio magis magisque populum concitabat. Itaque Prætor statim eos corripit, & varijs tormentis, nisi dijs immolent, affici iubet. Traditur Chrysanthus Claudio Tribuno. Tribunus eum militum permittit furori: qui madefactis eum vinciant nervis; vt illis arescentibus, & ad ossa vsq; penetrantibus, angeretur. Verùm cum vincientium manus quiescissent, dicto citius vincula disrupta impios militum conatus eluserunt. Qua propter indignati triplicibus eum strinxere cõpedibus, fœdoque in cluso carceri illudere cœperunt: sed illis illudentibus, compedes in puluerem redacti sunt. Tunc impij satellites furore, & amentia pleni, sublatum lotio consperferunt: vt maleficia, quibus eum vti calumniabantur, opprimerent. Sed fœtoris loco, mira odoris, suauitas est consecuta; non aliter, quam si roseus liquor diffusus esset.

*Capiuntur
martyres.*

*Crudeliter
vincitur
Chrysan-
thus.*

*Variè tor-
quetur.*

Quid igitur? ò immanes hominum mentes. Immane
Excoriato vitulo, ipsum in eius pelle nudum supplicium.
includerunt, ardentissimisq; solis radijs tota die expositum torrere voluerunt. Sed vir Dei nullum ex vehementi calore incommodũ percipiens ostendit, docuitque egregiè, se nõ magicis artibus, sed summi & omnipotentis Dei protectione illæsum & saluum contra omnia tormenta permanere. Catenis igitur vinctum obscuro denuò carcere concluderunt. Sed fractis ilicò catenis, cælestis quidam splendor in medijs tenebris eluxit, qui haud mediocri milites admiratione affecit. Cuncta igitur renunciant Claudio: qui festinus ad carcerẽ veniens, Chrysanthum foras prodire, & prodeuntem palis

*Claudius
Tribunus
visis mira-
bilibus cre-
dit in Chri-
stum.*

palis alligari, virgisque atrociter cædi iubetur. Allatae sunt virgæ sanè durissimæ; quæ tamen sanctissimi viri corpori admotæ, instar papyri, molles factæ sunt. Quod quidem animaduertens Tribunus, eum solui, atque erigi, vestimentisq; indui imperavit. Et ad milites cõuersus, Nostis, inquit, ò milites omnes magorum & incantatorum fraudes à me deprehensas, & ad nihilum redactas esse: hic autem non maleficium humanum, sed diuinæ virtutis potentiam esse comperio. Nam & neruorũ vincula spontè dissoluta sunt, & compedes cõfracti, & corij humiditas in solis ardore per totũ diem non exaruit, & tenebricosus carceris locus luce illustratus est; & virgæ in manib. militum asperrimæ, inter verberandũ, veluti papyrus molles effectæ sũt. Quare cùm luce meridiana clariùs veritas & iustitia nobis appareat, quid reliquum est, nisi vt omnes ad huius viri genua prostrati, veniam eorum petamus, quæ summam per iniquitatem in eum patimur. Numus precemurq; vt nos huic Deo conciliet, qui cultores suos in omni bello victores facit. Etenim quemadmodum nos vicit, sic omnes principes & Imperatores superabit.

*Baptizatur
Claudius cõ-
annib. suis.*

His dictis Claudius vnà cum militibus: Hieronima vxore sua, & duobus filijs, Iasone & Maro, & tota denique familia, supplex ad Chrysanthum abiit, eiusq; pedib. prouolutus. Chrysanthi lauacrũ humiliter flagitauit. Chrysanthum ea re vehementer gauisus cunctos catechessis instruxit, expiatisque saluari lauacro ad mortem p̄ Christi gloria cõstanter oppetendã hortatus est. Rumor rei gestę ilicò ad aures Numeriani Imperatoris peruenit.

Imperatoris peruenit, qui milites in Christi confessione constantes capitis dānauit. Et primò quidem Claudius ligato ad collum lapide in mare præcipitatus glorioso fine triumphū de hoste peregit: quem pari virtute filij sequuti, copias militares ad eandem martyrij gloriam suo exemplo pertraxerunt. Fuere eorum corpora à Christianis haud procul ab Vrbe, in via quæ Mauri nuncupatur, honorificè condita.

Fit martyr cum suis omnibus.

Quem locum Hilaria cum frequentius venerabunda obiret; à militibus quibusdam comprehensa est. Cumque per vim abstraheretur, Sinite me, inquit, precationem meam absoluere; qua absoluta, sequar quocunque vocatis. Ea facultate haud grauatè concessa, pia matrona flexis genibus, manibusque in terra pietate in cælum protensis, tacitæ precationi se totam dedit, atque inter precandū Deo spiritum tradidit.

Hilaria Claudij uxoris ob. 304.

Interea noua in Chrysanthum, Dariamque à Numeriano excogitantur supplicia. Et quidē illo in carcerem Tullianum profundissimum ac teterrimum coniecto; hæc in lupanar detrusa fuit. Quibus vario tormentorum genere affectis, varia Dominus gratia opitulatus est. Chrysantho enim odoris suauitatem & lumen attulit. Dariæ verò leo, qui è stadio fugerat, auxilio fuit. Lupanar enim ingressus in medio sese extendit. Quod cum ciues lateret, fute ab eis salacissimus quidam iuuenis, multis coopertus flagitijs, immissus, ut virgini vitium inferret, & volentem nolentemque ad scelus impelleret. Sed simulac pedem in cubiculum intulit, leo in eum impetum fecit,

Chrysantho & Daria contra supplicia mirabiliter defenduntur.

pro-

*Vide rem
miram.*

prostratumque pedibus conculcans, intētis in virginem oculis, quid ab ea fieri veller, petere videbatur. At virgo, re cognita, Adiuro te, inquit, per filium Dei, ne ei facultatem nostram audiendi sermones præcludas. Leo confestim eo relicto ad fores aduolauit, & cunctis introitum diligenti custodia præcluserat.

Tunc Daria ad iuuenem: Ecce, inquit, immanis fera Christi nomine audito, Deum colit: & tu tot flagitijs sceleribusque opertus, homo tamen ratione præditus, in dementia tua ad extremum cum certa perniciæ persisteres? At ille humi prostratus veniam & salutem deprecari, spondens si incolumis egrederetur, omnibus se Christum annunciaturum. Imperauit igitur leoni Daria, vt abeundi ei potestatem faceret. Paruit rursus Leo; egressusque iuuenis per omnes vicos plateasque cursitans, magna voce Dariam esse deam clamauit.

Dum hæc fiunt, audacissimi qui que ad leonem vinculis coercendum è stadio adueniunt, qui primo ingressu à fera deiectione, eiusque pedibus, spectante Daria, calcati sunt. Quibus Daria: Si, inquit, in Christum credideritis, incolumes abire poteritis: sin minus, dii vestri liberent vos. At illi vna omnes voce clamaret Qui Christum, verum viuumque Deum non credit, continuò intereat. Hæc clamantes, & Christum vna voce confitentibus illæsi discelsere: ac paulò post salutari lauacro mundari haud poenitendos fidei suæ fructus dedere.

Hæc omnia Imperatori vt nunciata sunt, insit is Pontio prætori, vt Chrysanthum Darianamque

que varijs excruciatos tormentis morte acer-
bissima afficeret. Fuit sine mora constans ath-
lera in armamentario suspensus, sed mox fra-
cto ligno, & vinculis solutis, facibusque extin-
ctis, martyr in medio satellitum agmine illæ-
sus constitit: Daria verò simili virtute ab omni
militum petulantia immunis permanfit. Nam
qui sacrilegas in eam manus mittere conaban-
tur, illico stupefactis nervis, ingenti dolore cru-
ciabantur. Quo cognito Imperator diuinam
virtutem magicis non veritus artibus ascribe-
re, iussit eos extra Urbem abduci, & in via Sa-
laria, effossa terra, viuos obrui. Illuc igitur
sancti perducti, in foueam canentes & precan-
tes descenderunt; & terra lapidibusque obrui-
ti, præclaram martyrij coronam simulque se-
pulturam perceperunt.

Porro cum Dei gratia multæ ibidem virtu-
tes coruscarent, accidit vt incredibilis viro-
rum, & foeminarum, puerorumque multitudo
ad solennem martyrij ipsorum diem celebran-
dam in specu quodam conueniret. Id Nume-
rianus vt intellexit, speluncæ os atque aditum
obstrui iussit. Quod quidem summa celeritate
cum factum esset, terra vndique decedente, o-
mnes diuinorum mysteriorum participes fa-
cti, martyrij coronam incredibili cum gaudio
adepti sunt: inter quos presbyter Diodorus,
Martianus diaconus, & alij non pauci eximia
pietate & doctrina clerici, cæteris Christi
fidelibus sua virtute atque constantia ad
mortem viriliter pro Christo op-
petendam animos addi-
dère.

Z MARTY.

Vini terra
& lapidibus
SS. martyres
obruuntur.

Tumulus
eorum mira-
culus cele-
bris.

Martyrium
Diodori
presbyteri,
Martiani
diaconi &
aliorum plu-
rimorum.